

**05**

**A**

**1415**









Cum Deo  
Propter Deum!

# DEUM

## IN LUMINE NATURÆ REPRÆSENTATUM

Autoritate superiorum  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Præcellentis atq; Præclarissimi*

**Dn. M. GEORGII VVAGNERI,**

Colleg. Philosoph. Adjuncti meritissimi

Dn. Præceptoris, Promotoris, Fautoris humili  
observantiâ ætatem prosequendi

*In Universitate VVittebergensi*

*A. D. g. Mart. Ann. Christi M. DC. LXX.*

H. L. Q. C.

*publicè disputabit*

AUCTOR RESPONDENS

**PAULUS PRÆTORIUS,**

Budislinensis.

---

Nazaren. Orat. contr. Eunomian.

Μνημονεύσον θεῶν μαλόν, ἢ ἀναπνευσέον.

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.



PATRIBUS. CONSCRIPTIS.

VIRIS.

VERITATIS. SINCERÆ. DOCTORIBUS.

PIETATIS. VERÆ. PROFESSORIBUS.

REVERENDIS. CLARISSIMIS QVE.

FRATERNITATIS. REVE-  
RENDÆ. QVÆ. IN. SUPERIO-  
RE. LUSATIA. COLLIGITUR.

SENIORI. GRAVISSIMO.

ADJUNCTIS. MERITISSIMIS.

CETERISQVE. FRATRIBUS. DIGNISSIMIS.

DNN. PATRONIS. PROMOTORIBUS.

SUSCEPTORIBUS.

PARENTI. AGNATO.

SINGULIS. FAUTORIBUS.

HONORATISSIMIS. HONORANDISSIMIS.

*Primitias Mesis Academicæ*

05 A 1419 in presentia rerum

D. D.

PAUL. PRÆTORIUS, SS. Theologiæ

& Philosophiæ Studiosus.





## Præloquium.

Ἀρχὴν ἀπείρων καὶ τέλος ποιεῖ θεόν.

**P**auca dicuntur, si spectes breviter verborum; at multa intelliguntur, si gravitatem rerum. Hoc autem sibi volunt benedicta & melius intellecta D. Patris, ut progressum secundum tibi promissurus in ingressu Deum invocet, in egressu Deum glorificet: Rationem dat Apostolus Rom. XI, 36. *Quoniam ex ipso, per ipsum & in ipsum sunt omnia: Ex ipso, tanquam causâ procreante, Per ipsum, tanquam causam conservantem, In ipsum, tanquam causam finalem.* Atqui ego quidem hæcenus fructum Academicum gustaturus publicam exercitationem καδδύναμιν conscribere animum institueram; Ecquam verò istam? En! placet nobilis illa Controversia de *Notitiâ Dei insitâ,*

Παρεῖ γὰρ θεός ἐστι καὶ ἡμῖν.

Deo igitur, qui studiorum Ἀρχὴ καὶ τέλος, Autor & Fautor est, Deo, inquam, hæc studiorum ara erigitur. De Deo autem, *ais*, non est disputandum, cum *judicia ejus sint ἀνεξερέυνητα* Rom; c. c. vers. 33. & secundum Augustinum, *Deus melius sciatur nesciendo.* Verum enim verò non ita loquimur de Deo, ut omnia Dei eloquamur, *quæ non possumus, sed quæ possumus* ad Dei gloriam nostramque salutem loquimur. De *Simonide* refert Cicero, quòd à curioso *Hierone* interrogatus, quid Deus sit? unum diem propter deliberandum sibi postulaverit; postridie repetitâ interrogatione duos dies petierit, cumque numerum dierum sæpius multiplicaret, Tyrannus tandem quærere, quid ista dierum multiplicatio? *Quia*, respondit ille, *quantò diutius considero, tantò res mihi videtur obscurior.* Ast aliter *Gentiles*, aliter *Christiani* de Deo philosophantur. Distingvendum erat inter *notitiam quidditativam; & quidditativam.* Illa comprehendit Deum, hæc apprehendit: Neq; sequitur, *Deus omni modo non potest cognosci, ergò nullo modo.* Audiamus *Isavissimum gravissimumque* judicium *Theodoretii*: Τα κερυμμένα ἢ θεῖ ζητεῖν, ἔδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν, quod accepisse videtur ex *Ambrosio*, qui adhuc explicatius super hâc re commentatur: *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne in*



illis illicitè curiosi, in istis damnabiliter inveniamur ingrati. His stan-  
tibus quæritur:

*An Notitia Dei Naturalis connascatur?*

Quod ut explicatam atq; applicatam decidatur, decisum quâ veritatem propositam adstruendo, quâ falsitatem oppositam destruendo, expendatur, non abs re fuerit tria ad viam methodi constituere capita, (1) Θετικόν (2) Κατὰ Θετικόν (2) Ἀντιθετικόν. Ubi in primo ἡ ἴσῃ sententia nostra παρασκευαστικῶς monstrabitur; in secundo κατασκευαστικῶς demonstrabitur; in tertio ἀνασκευαστικῶς remonstrabitur.  
DEUS ADSIT!

## CAPUT. I.

Θετικόν.

§.1. Δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας τὰ ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα. inquit Clemens Alexandrinus: Et verò, quum, juxta vetus illud, eis τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δὴ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, (ratio patet, quia post simplicem demum apprehensionem, componimus dividimusve, unde facili & felici pede ex vestibulo ὀνοματολογίας in ipsum atrium πραγματολογίας ascenditur,) ea propter nos primo intuitu voces rerum tractandarum, secundo res vocum tractatarum videbimus.

§.2. Vocum autem aliæ subjiciuntur κατηγορηματικῶς & συγκατηγορηματικῶς, alia predicatur.

§.3. Notitia, quæ subiecti κατηγορημα præstat, spectari potest tum absolutè, in se, quatenus quid scientiæ involvit, secus informationem sine somno futura, & sonus verbi non responderet sensui rei; tum respectivè, ad nos, quatenus nobis inest, & ab eâ aliquid scire denominamur, id quod dupliciter potissimum fit: Vel enim novimus aliquid ἐκτικῶς & actu primo, ἰ. ἐνεργητικῶς & actu secundo: Illud ad qualitatis, hoc ad actionis predicamentum respicit. Hic loci quæstio est de Notitiâ habituali in ordine ad homines, non quoad potentiam acquirendi, sed quoad actum inherendi, Habitus enim si non per modum actus, tamen actu inest.

§.4. Συγκατηγορήματα talia sunt partim quâ rem considerandam partim quâ modum considerandi.

§.5. Res consideranda DEUS est, quem operæ pretium fuit  
pau-



Paulò altiùs considerare 'per *definitionem*, largius sumptà voce, quia (talis quoq;) ὁρισμὸς τῆς ἑσίας (si non in totum, tamen in tantum) γνωρισμὸς, *Aristoteles*. Duplex verò in communi statuitur definitio, Altera *Nominalis*, *Realis* altera, Scholastici *quid nominis & quid rei* appellitant. *Nominalis* illa tribus absolvitur partibus: Παρωνυμία, ὁμωνυμία, Συωνυμία. Sit

§. 6. I. Παρωνυμία seu *nominis prima originatio*: Ly Deus videtur derivari ex Græciâ, vel à Δέσ, Timor, unde *Poëta*:

*Primus in orbe Deos fecit timor:*

(Quod observantes infra ex timore Conscientiarum θέσιν veritatis de Deo, cum Deo φυλάττειν laborabimus) vel à θεός, quod Ethnici, ut Plato habet, deducebant ex θέσιν, currere, (Coelum pro Deo propter perpetuam motus celeritatem & celebritatem colentes; Damasceno dicitur ἀπὸ τῆς ἀθεῖν, quod urere significat, quia Deus est ignis urens ac comburens Deut. IV, 24. Aliis ἀπὸ τῆς θεᾶσθαι, quia Deus omnia, quæ sub caelo sunt, spectat Job. XXVIII, 24. &c.

§. 7. II. ὁμωνυμία sive varia significatio: Vox Deus capitur vel secundum hominem, & improprie, vel secundum rem & proprie. Improprie sumitur (1) κατὰ φεῦδ, pro θεῶ φαινομένῳ. Sic Dii Gentilium dicuntur *Dæmonia* Psalm. XCVI, 5. ubi tamen distingvendum inter *Conceptum*, quem Gentiles ex naturâ hauserunt, quòd (conjunctionaliter) sit *Numen aliquod*, & *Quod* (pronominaliter) sit *Numen illud*, vel, quod idem est, inter *Conceptum ipsum*, & *Conceptus applicationem*. Ille fuit legitimus, hæc verò minimè. (2) κατὰ χάριν, pro θεῶ λεγομένῳ. Sic in sacris tribuitur Magistratui propter officium divinum Psalm. XXCII, 6. Aristoteles etiam Homines δι' ὑπερβολὴν θεός γίνεσθαι docet. Proprie accipitur κατὰ ἑσίαν, pro θεῶ ἀληθινῶ, Ente Summo & Optimo, quæ significatio est hujus loci: Adde quòd in respectu habito ad notitiam non *active* significat, quatenus Deus nos noscit, sed *passive*, quatenus à nobis noscitur (intellige, secundum quid.)

§. 8. III. Συωνυμία seu similis appellatio: Scriptoribus Divinis usitatissima sunt יהוה אלהים (sive ut Cabalistsæ cum Suffixo יהוה scribunt יהוה ברכו) quorum prius ad essentia Divina unitatem, posterius ad Personarum pluralitatem referri Theologi dicunt



cunt. LXX. Interpp. interpretantur per *κός*. "vid. de his & similibus B. Gerhardus LL. Theoli. Tom I. De Nat. Dei cap. IV. Profani ita *θεός*; *Thales* Deum nominavit illum, qui principio ac fine caret, quomodo *Aegyptii* quoque; Eum ex hieroglyphico Circuli intelligebant; *Plato* vocat mentem aeternam causam omnis boni in Naturâ; *Aristoteles*, Summum aliquod Ens & primum omnis motus principium, ipsum *ἀλόγιστον*; *Cicero*, *Præstantem, aeternam ac suspiciendam Naturam.*

§.9. Sequitur Definitio seu rectius Descriptio realis, quæ duos habet Conceptus, *Contrahibilem* quæ & *contrahentem*: *Illum* Spiritualitas, *hunc* exhibet Independentia, unde talis subnascitur Essentiæ Dei declaratio, qualis tandem cunquæ sit: *Deus est Spiritus simpliciter independens.* Dixi, est *Spiritus*, ubi tenendum quod vocabulum *Spiritus* analogicè (analogiâ non *extrinsecâ proportionis*, sed *intrinsecâ attributionis*, de Creatore Creaturisquæ; loco generis prædicetur, de Creatore quidem in præsentia *πρωτός*, aliàs de *Creaturis* *θευλέγως*. Quando autem literæ sacræ Deum pingunt membris corporeis, id fit *ἀνθρώπων ἄνωγας* s. *humano more*, & intelligi debet *θεοπρεπώς* s. *divino decore*, ut per Manus Omnipotentia, per pedes Omnipræsentia, per oculos Omniscientia &c. adumbrarentur. Subiunctum est, *simpliciter independens*; Hunc igitur in modum disjungo, *Aut Deus est ab alio, aut à se; Non ab alio, A quò enim? Ergò à se, haut quidem positivè, quòd per realem efficientiam à se ipso fuerit productus, verum negativè, quòd non sit ab aliâ causâ, Ergò Independens; Additur simpliciter, ad totalem & absolutissimam designandam Independentiam, Aliàs enim Spiritus creatus est independens à Corpore, Substantia independens ab Accidentibus, (independentiâ aliquali) Obiter nota: Quòd aliud sit, Deum Spiritum simpliciter independentem cognoscere, & aliud, Deum, ut Spiritum simpliciter independentem cognoscere.*

§.10. Jam etiam accessus faciendus ad modum Considerandi, ut intelligatur non generaliter de Notitiâ Dei ut sic, sed specialiter de Notitiâ tali controverti scil. *naturali, contradistinctâ à supernaturali abstractivâ, quæ lumine gaudet gratiæ in viâ, tum intuitivâ, quæ lumine gloriæ in vitâ. Quemadmodum à Theologis hæc accipimus*

Dici,



§. 11. Dicitur *quatenus Naturalis Subjectivè*, quatenus naturæ pe-  
nitissimè inest, *perfectivè*, quatenus naturam exornando juvat. *transitivè*,  
quatenus per naturam propagatur.

§. 12. Deinde per *Naturam*, cui inest, quam juvat & per quam  
propagatur, non intelligitur *Natura Universalis*, quæ est ordo com-  
muniū caussarum, Poëtis Gentilibus est *Pan fistulâ ludens*, notare  
volentibus universam universi consonantiam, sed *Natura particu-  
laris*, humana scilicet, seu naturalis hominis constitutio, quæ pro  
diversâ conditione est diversa.

§. 13. Distingvendum namq; est *Tunc*, à *Nunc*, status *Nature in-  
stituta* à *statu natura destituta* ut hæc ex Theologia adducere liceat,  
Distingvenda est Theologia *absoluta* à *relativâ*. De absolutâ Dei  
notitia nunc disquiritur. Hæc igitur duce & luce homo *corruptus*  
(qui, in sensu diviso) communes adhuc & veros conceptus de Deo  
*formare* potest, & ad melius *efformandos* superiorem scholam acce-  
dere debet.

§. 14. Atq; de hac ipsâ in quæstione prædicatur, *An Connasca-  
tur?* ubi planius pleniusq; insinuatur distinctio illa, quâ distin-  
gvunt Philosophi *inter notitiam Dei naturalem* ἐμφυτον, quam *sub-  
jectivam* vocant, & ἰσχυριστικὴν, quam *objectivam*: Illa *ex interno Mi-  
crocosmi* libro, ἡ φύσις habetur; hæc *externo Macrocosmi*, ἡ κλίσις  
discitur: Illa per *κλισεις ἐννοίας* tanquam literas hominum animis  
impressa est; hæc *Creaturæ expressi divinitatis characteres* & aper-  
tæ notæ legendam exhibent, Etenim

*monstrat qualibet verba Deum.*

*Illæ connascentur, hæc acquiruntur.*

§. 15. Non itaq; tam quæritur, *An sit Deus*, quàm *unde cognosca-  
tur esse Deus*, quæ cognitio non præcisè *ad existentiam*, ei ἰσχυριστικῶς  
astringitur, sed simul *ad essentiam*, τὴν ἐστὶν extenditur.

§. 16. His præmissis præmittendis respondetur, quòd **CONNA-  
SCATUR NOTITIA DEI NATURALIS, QUÆ EST HABITUS  
DE DEO, AD HABITUM PRIMORUM PRINCIPIORUM SPE-  
CTANS ET INTELLECTUI PER NATURAM IMPRESSUS  
AD ACTUALITER NOSCENDUM DEUM,**

CA-



## CAPUT II.

Καταθετικόν

§. 1. Λόγον ἄλογον dixerit quispiam hancce nostram Θεολογίαν: sed θεολογία probetur, ut candidis animis approbetur; Quod quidem modo duplici fieri potest, ut (1) quòd sit (2) quòd sit habitus, & demonstratur.

§. 2. Duos *Existencia probanda* ingreditur locos, unum *artificialem*, alterum *Inartificialem*.

§. 3. Argumentor:

*Quibuscunq;* insita est naturaliter notitia legis Divinae, illis etiam insita est naturaliter (adeoq; connascitur) notitia Legislatoris, Dei.

*Atqui Hominibus insita est naturaliter notitia legis divinae, Ergò Hominibus etiam insita est naturaliter (adeoq; connascitur) notitia Legislatoris, Dei.*

*Major ex eo capite verificatur, quia Lex & Legislator ad se invicem referuntur, Esse autem Relati est esse Correlati. Jam, cum modus cognoscendi sequatur modum essendi, Cognito uno cognoscitur & alterum. Quod ad Minorem attinet, Legem divinam voco non specialem illam Scripturæ, quæ per Revelationem populo Israëlitico præscripta fuit, sed generalem Naturæ, quæ per generationem omnium populorum cordibus inscripta est, dicta Divina effectivè, quia à Deo est inscripta mediatè, quancquam quoq; ita dici posset objectivè (Intelligendum objectum non adæquationis, sed perfectionis) quia partem de Deo præcipit: Nunc si verum est, uti verum esse probabitur, nos non induitiam nobis comparavisse, sed naturæ nostræ implantatum esse principium illud practicum: Deus est colendus: multò magis principium theoreticum: Deus est, implantatum erit; Sed ad præsens, Duo dicuntur in argumento (1) Materiale, quod notum est, (2) Formale, sub quo notum est, illud Lex offert, hoc divinitas legis confert.*

§. 4. Prius, nisi valdè fallor, ita potest probari:

*Quicunq; natura faciunt ea, quæ sunt legis, illis naturâ insita est notitia legis.*

*Atqui Gentiles &c. E.*

*Major à posteriori concludit, quòd observatio legis supponat ejus cognitio*



*cognitionem. Ignoti enim (ut Non-Entis nullæ sunt affectiones) nulla cupido; Quid igitur est naturâ facere? Sanè nihil aliud, quam à naturâ scire, & secundum illam scientiam naturalem operari, cum ne quidem intelligi possit, quomodo quis naturaliter agat honesta, si naturalis nulla sit eorum notitia. Duobus v. modis aliquis potest facere ea quæ legis sunt (1) *moraliter*, quantum ad *affectum* (2) *physicè*, quantum ad *effectum*. Utrumq; de Gentibus sublumitur, qui ductu naturalium principiorum de discrimine honestorum & turpium non solum *noverunt*, verum quoq; *fecerunt* quod legi conveniebat, virtutes sectando & vitia fugiendo. Quàm enim clare Zelo *virtutes appetendas mandant*, quàm charo exemplo *virtutes appetitas commendant* Philosophi Ethnici. Ita apud oratorem Cicero- nem legitur: *Nihil bonum, nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe; quem in modum Lacones, ut Plutarchus testatur, à Diis nihil aliud petierunt, quàm ut ceteris bonis adderent ea, quæ honestissima es- sent*: Ita etiam apud Poëtam Virgilium monitum saluberrimum ex- tar: *Discite justitiam, quam similiter Pedaliu Indorum, ut refert Cæ- lius, in sacrificiis exposcebant, arbitrati omnium planè compotes se futuros, si eam modò unam fuissent consequuti*. Quid? quòd Gentiles non tantum *vivere male, vitium duxerunt*, sed quoq; *cupere mala, quod peccatum sine effectu nominat Cato: & Seneca: Latro, inquit, est, etiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atq; interficiendi voluntatem. Exercetur & ape- ritur opere nequitia, non incipit*. Quas gnomarum verè Christiana- rum guttulas unde hauserunt? An ex fonte *Gratie*? At fideles bibunt aquam vivam, non infideles. Ergò ex fonte *Nature*, quæ omnibus de- dit fundamenta *semeng; virtutum*, ipso testante Senecâ, Imò, quid Seneca? In terminis terminantibus habet ὑπὸ πνεύματι αἰνίσ- σερθουσιν Vir sanctus Paulus Rom. II, 14. quando dicit, *Quòd Gen- tes, quæ legem non habent, faciant Quòs τε τῆ νόου*, quem locum explicatum & vindicatum vide à Theologis. apud Pruknerum Part. V. Vindiciar. Bibl.*

§. 5. Restat posterius confirmare, nimirum, *Cognitum Legis co- gnita divinitatem*. Hujus verò robur situm est in *Conscientia Testimo- nio*, quæ, ut Lipsius loqui amat, *est scintillula residua rectæ rationis,*

B

sic



sic ex parte ratioeinantis, ut (sunt verba B. D. Danhavveri in Colleg. *Ψυχολογ.* disput. VII.) in majori propositione Syllogismi practici ponat *legem*: in minori, *Accusatorem, testem & reum*: In Conclusione, *Judicem*, cujus executio sæpe est *αυτοφονία*. Hinc fluit argumentum:

*Quicumq; ex propriâ Conscientia norunt, legem à se peccantibus violatam esse legem à Deo, quem puniturum metuunt, latam, illis naturaliter insita est notitia legis, quatenus divina est;*

*At qui Homines scelesti &c. E.*

*Major εὐδηλ* & est, Omnis enim pœna, quam metuunt scelerum Patroni justam, est peccati: Peccatum igitur notum incutit metum pœne, Ast unde notum? Ex lege, non semper externâ scientiæ, cum & barbari timeant, qui hâc carent, & præfracti timeant, qui non curant, verùm internâ Conscientiæ, quæ naturaliter insita est, quia Conscientia est naturalis. Minorem decantat laudatus præco Legis Naturæ, Conscientia (sub conceptu inadæqvato spectata, non quidem quatenus bona est & excusat, sed quatenus mala, & accusat) quæ, Cicerone dicente, magnam vim habet, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverunt, imò talem pœnam,

-- quæ multò sævior illis,

Quas aut Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus.

Ut Juvenalis canit: Hic mihi aliquis nominet pallentem ad fulgura Contemptorem Deorum *Caligulam*, exagitatam maternâ specie crudelem *Neronem*, aliosq; raro ad Generum Cereris siccâ mortē descendentes *Tyrannos*, ut Regnorum *Principes tumidos*, ita vitiarum irregularium *subditos timidos*, quorum si recludantur mentes, possunt adspici *laniatus & ictus*, quando, ut corpora verberibus, ita *savitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur*, Tacitus Annal. VI, 6.

A quo autem metuunt hi desperati pœnarum Candidati? Aut à se ipsis, aut ab alio: Non à seipsis, quia nemo carnem suam odit, & *vitiâ nostrâ malum excusare, quam excutere*, Seneca. Ergò aut ab alio homine, aut à Diabolo, aut à Deo: Non I quia etiam tum tremulo sub pectore duras dirasq; pœnas alunt, quum scelera sub terrâ sunt, quin imò majus humanâ irâ, quam fortis ridet potentia, supplicium extimescunt manus lethales sibi inferentes; Non II, quia non

de



de quolibet metu, sed de eo qui conscientiam affligit, quaestio est, Diabolus verò si noverunt, ut *inducem via ad scelera* noverunt, non ut *vindicem scelerum*. Itaq; manet, quòd ab eo metuant, qui Legislator scientissimus, Καρδιογνώστης accuratissimus, Judex justissimus audit, nempe à Deo, ὅτι ἐξ ἑδαι δείξαι. Rectè itaq; Menander:

Βεβητοῖς ἀπασιν ἡ συνείδησις Θεός

Quod dictum commodissime explicare videtur Magnò Philosopho B. Sperlingius Anthropol. p. 182, 183. *Conscientia, ait, illis diem dicit, haec ad Dei subsellia eosdem pertinet. Ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa damnat. Eadem accusator est, eadem testis est, eadem iudex est, eadem tortor est, eadem carcer est, eadem Carnifex est. Semper in horum animis extant gravissima sententia: Deus est: Deus videt: Deus ultor est.*

§ 6. Accedat communis Gentium consensus, quem instar legis Naturæ putandum esse putat Cicero: Et benè; Haut enim ad solam traditionem antiquam referri damus Socino, cum traditio sit particularis, ac Consensus universalis, & effectus communis habeat causam communem, qualis ipsa natura hominum est: Praclarè Seneca: *Multum, inquit, dare solemus praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: Tanquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quòd omnibus de Diis opinio insita est; nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresq; projecta, ut non aliquos Deos credat.* Aristoteles dicit, *quod omnes homines animo habeant τῶν Θεῶν ὑπόληψιν*, Epicurus vocat *πρόληψιν*, quam non hauriri, sed innasci nobis, profitetur Julianus apud Cyrillum. Pluribus vide Magnif. Dn. D. Meisnerum, Praeceptorem nostrum summè honorandum libr. Unic. de Theol. Nat. quaest. I. §. 25. item Micraëlii Ethnophronium lib. II. Dial. 2. c. 17.

§ 7. Nunc quoq; ad *essentiam probandam* pedem ferimus, quòd illa firmo stet pede; ubi statim non possumus facere cum illis, qui *δύναμιν κερτικήν* tantum admittunt. Praeter enim ea, de quibus *objectum, quod inscribitur*, non est *Subiectum, cui inscribitur*: Ast Lex naturæ, sicq; notitia Dei insita inscribitur *δύναμει κερτικῇ* (quod probatur ex Rom. II, 15. Vocabulum enim Cordis, quemadmodum ipse annotat Flacius, stylo Scripturæ pro *potentiis anima* sumitur & hoc loco ita sumendum est) Itaq; non ipsa *δύναμις κερτική* erit:

B 2

hanc



Hanc colligimus rationem ab incommodo: Si notitia Dei non inscripta est homini, sequitur, quod homo (1) ignoret suum Creatorem (2) sit inferioris conditionis quam quidem est brutum, quod novit suum factorem. At posterius est absurdum. E. & prius.

§. 8. Quod autem sit habitus (saltem analogicè talis) ita probatur:

Quicquid datur in homine tanquam qualitas Intellectum ut potentiam naturalem ad suos actus facilius expediendos perficiens, ita ut difficulter sit mobilis, illud est habitus. Sed Notitia Dei Insita &c. E.

Major procedit à definitione ad definitum, qui processus est veritatis accessus: Minorem probat experientia; Veras igitur præmissas sequitur Conclusio vera, nimirum Quod notitia Dei insita sit habitus.

### CAPUT III.

Ἀντιθεσίον.

§. 1. Tandem quoque Virorum Adversariorum vires experiendæ supersunt, ut ne de Ἰθύντω πρὸ ἑαυτῶν gloriari habeant; dum multa (numero) loquuntur, non multum (pondere.) Πρὸμαχον hic excitat pulverem Socinus, qui dicit: Receptior hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cuius vi cuncta regantur, ac gubernentur, quæque humanarum rerum imprimis curam gerat; Hanc sententiam falsam nos esse arbitramur. Egregia ἐπιπίπτει, si Diis placet, quæ quàm mentiatur Revelationem & Rationem, videbimus.

§. 2. Objectant, quod multi, tum Ethnicorum, tum Christianorum negent esse Deum. Unde tale posset constitui argumentum:

Quicumque negant Deum, illis non est insita Notitia Dei.

Atqui Impii &c. E.

Respond. Major est falsa: Abs negatione enim ad ignorationem concludere est recludere, quia causa negationis sæpe non est defectus notitiæ, sed affectus malitiæ; Negant verò Impii Deum non ἴτερος corde per dissentium, sed πρὸς ἔργον opere per peccatum Ergò distingvendum inter NESCIRE, ignorantia simplicis, & SCIRE NON VELLE, ignorantia affectata. Unde limitari potest major propositio in hunc modum: Quicumque negant Deum ex simplici ignorantia, illis non est insita



ita notitia Dei; sed jam fallit minor de Atheis illis practicis, qui non puram negationem λόγος ἔσω exhibent, verum pravam dispositionem λόγος ἔξω adhibent. Socinus & illius affectu urgent Ps. XIV, 1. Quibus jamdudum satisfactum est a nostris venerandis Don. Theologis. Nos saltem vi Philologia ad istum locum dicimus, quod Insipientes non ex corde, sed in corde loquantur impietatem istam, operantes (Hoc sensu de Jesu Philistino radix ἄθεος usurpatur 2. Sam. XXI, 16.: דַּרְךְ הַיְהוָה לְהַכּוֹת אֶת הַיִּזְרְעֵלִי Lutherus transtulit (der gedachte David zuschlagen) Ine Deus sit, qui habeat ἔκδικον ὄμμα, adeoq; non existentiam Dei sed Dei existentis Providentiam in dubium vocent. confer Psalm. X. ii.

§. 3. Excipiunt. Contrarium svadere exempla Protagoræ, qui Dii sint nec ne satis statuere non potuit, Theodori ἀθεῶν εἶναι τὰς περὶ θεῶν λόγους existimantis, Diagoræ aliorumq; paucorum. Verum hic responderetur, quod hi ipsi non de θεότητι sed πολυθεότητι dubitasse videantur, sicq; non tam Deum unum, quam Deos Gentilium, qui ex solo versiculo Hesiodi

-- Ἰεῖς μύριοι εἰσι ἐπὶ χθονὶ πηλιβοτείρῃ,  
Iuserint atq; excluderint, inde accidit, ut famulo ἀθείων nomine apud suos suspicerentur: Neq; hoc abit a moribus Atheniensium, sicut monstrat fortuna Anaxagoræ, quem Cleon ἀσεβείας postulavit, quia Solem Deastrum appellasset μύδρον διάπυρον: Eadem chorda canens Theodorus Herculem ligneum naso suspendit ad unco: Age Hercules decimum tertium laborem subiturus adesto nobis obsonium coediturus. De Diagorâ etiam Suidas tradit, eum ideo urbe exulasse, quoniam sacra evulgaret Atheniensium, aliosq; si qui initiari vellet, debortaretur. Quicquid autem hujus rei sit, ut ponamus, fuisse atheos propriè sic dictos. Num verò paucos hujus furfuris minutos & inertes Philosophos, quomodo vocantur a Lactantio, præponemus universæ Philosophorum scholæ, Thaleti, Socrati, Platoni, Xenophonti, Xenocrati &c. sapientiæ & prudentiæ Indicibus vindicibusq; masculis nobis ad stipulantibus? præsertim cum quanto quisque vir melior fuit, tanto minus de Deo dubitavit. Sicut verò facultas videndi non propter hanc causam naturalis esse desinit, quod quidam ex propriâ morositate non videant, ita nec notitia Dei, si in non-



nullis modo petulanti suffocetur sive obducto scelerum callo, sive apertâ vi conscientia illatâ, namq; potest malitia notitias naturales ad tempus suppressere, ne appareant, penitus delere non potest. Dormit aliquando aliquantum Conscientia, sed evigilat vicissim, O te miserum, si testem hunc contemnis, inquit Seneca.

§. 4. (2. *Quicquid est connatum, illud inest omnibus, Notitia Dei non inest omnibus, quod probant, quia se non manifestat in omnibus, & in Americanis nullus divinitatis sensus deprehensus sit, Ergo.* Resp. ad *Majorem, dupliciter aliquid posse inesse, vel  $\chi\eta\sigma\epsilon\iota$  s. actu primo, vel  $\chi\phi\sigma\epsilon\iota$  s. actu secundo, Jam ut aliquid dicatur naturale alicui, sufficit ut possideatur, quanquam non usurpetur, Non enim est actus aptitudinis in quolibet individuo necessarius, dicente subtilissimo Scaligero; Deinde sic limitata majori negatur minor; Quod v. priorem attinet probationem, Respondeo, Aliud esse latenciam, aliud absentiam, in pueris latet ratio, Ergone abest? Sub cineribus latet ignis, Ergone abest? Distingvendum itaq; est inter  $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\omega\nu$   $\theta\epsilon\omicron\gamma\nu\omega\sigma\iota\alpha\varsigma$ , & inter  $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\eta\nu\alpha$ . Hoc abesse potest, illi semper adest. Ratio verò, cur lateat, partim est *deficiens ratiocinatio*, ut in pueris; partim *afficiens malitia*, ut in adultis. Quod posteriorem concernit, falsam esse illam experientiam, satis monstrat clara Tullii sententia: *Nulla gens est, neq; tam immanis, neq; tam fera, quae non etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat*: ipsos etiam Americanos, licet veri Dei ignaros, Numen veneratos esse testantur illarum Gentium Scriptores Benzo, Larius &c. Quin facilius ipsum Diabolum pro Numine coluisse, quam penitus nullum Numen habuisse compertum stetit.*

§. 6. Neq; est, quod ad primum excipiant Adversarii, Non tantum se non manifestare in omnibus Notitiam Dei, sed contrarium manifestari in subortis multorum de Deo dubitationibus; Distingvendum enim est inter *statum hominis naturalem, & praeternaturalem*, ubi non ex *ignoratione mentis*, sed ex *infirmirate carnis* marcedi  $\epsilon\pi\omega\chi\omega\nu$  surculi propullulant, quibus incrementum largiuntur (1) *Eventuum* mirabilium stupenda *varietas* (2) *Mortis* aequo pede pauperum tabernas regumq; turres pulsantis grassans *Tyrannis* (3) *Diaboli* coecas praestigias *offundentis*, *violenta fraudulencia & fraudulencia*

Vio?



*violentia.* Inde est, ut tenebrarum filii Gentiles fortunâ juvenee Deum arbitrentur, non ante Eum inficiantur: *Estis, 10! Superi,* exclamat Sratius, cum convaluisset periculoso morbo Rutilius Gallicus. Quod si autem cupidum Adolescentulum impudica fefellerat muliercula, statim ille apud Ovidium dubitabat:

*Esse Deos credamne? fidem jurata fefellit.*

At aliud est aliqualiter dubitare, aliud prorsus ignorare.

§. 6. (3. *Quicquid creditur, illud non scitur, Deus esse creditur.* Quemadmodum nos Christiani ex tenore Symboli Apostolici facimus juxta Eb. XI. 6. Resp. Major si intelligatur in sensu formali, quâ creditur, tota argumentatio absq; periculo veritatis conceditur, si in sensu materiali, prout jacet, tunc major est falsa, siquidem ab inclusiva ad exclusivam non valet Consequentia, & una eademq; res pro diverso cognoscendi principio, quod agnoscit & Φύσις & γρηγορη, potest esse & πίση & ἐπισητη. *Quæritur:* Cur verò Deus quod jam notum erat naturâ, in scripturâ revelavit? Hic respondet Tertullianus: *Promisit Deus Naturam magistrum submissurum & Prophetiam, quò facilius credas Prophetiæ discipulus Naturæ.* Revelatio itaq; talis rationem non seponit, sed presupponit, non interficit, sed perficit, factaq; est (uti B. Meisnerus Tractat. de Legib. lib. III. quæst. 1. obj. 5. docet) (1) ob imperfectionem notitiarum (2) ob renovationem animarum (3) ob consecutionem vitæ æternæ.

§. 7. (4. *Habitus est, qui crebris acquiritur exercitiis* (probatum ex Aristotele, Nihil enim est in intellectu quod non prius fuerit, in sensu) *Notitia Dei Inscita non acquiritur crebris exercitiis E. non est Habitus.*

Resp. Aut major est particularis, tunc falsa est formaliter, aut universalis, tunc falsa materialiter, non enim omnis, sed quidam habitus acquiritur. Proinde distingvendum inter habitum innatum & illatum, hic crebris acquiritur exercitiis, Ergò Conclusio est, quod *notitia Dei Inscita non sit habitus illatus*, atq; sic nobis non adversatur. Quod ad probationem attinet, πολυθρύλλητον illud si non universaliter falsum, non tamen est universaliter verum, Tantùm enim de speciebus intelligibilibus intelligendum venit, quæ beneficio abstractionis concipiuntur, haut de habitibus, qui inesse possunt ante ab-

*stra-*



*functionem*, unde clarum est, distingvi debere inter id, quod natura  
inest secundum esse reale, & inter id quod curâ inest secundum esse in-  
tentionale: Dictum particulariter probat, quod universaliter erat  
probandum, A particulari autem ad universale non concluditur.  
Dicebatur, esse Aristotelis; verum hic alii Aristotelem excusant,  
quod non ἀπλῶς, sed κατὰ τι de cognitione actuali principium in-  
stud intellectum voluerit. Themistii verba sunt: Nunquam tam  
inconsideratum Aristotelem fuisse, ut negarit, quaedam principia huma-  
na menti esse indita, nisi enim, inquit, in anima essent ejusmodi commu-  
nes notiones, non possemus nos mutuo intelligere, & nunquam discipu-  
us aliquid disceret a Praeceptore. Alii contra accusant, quod scilicet  
in simili absurditatis luto hæreat, dum Platonis reminiscenciam re-  
ferat, atq; ut Praeceptor in excessu, ita discipulus in defectu peccet.  
Sub judice lis sit; Nobis potior est Philosophiae veritas, quam Philoso-  
phi auctoritas. Jam fini adscribimus Corollarium Antivvalæa-  
num,

Θεολογία non est λόγος Θεῶν.

Subscribentes istud Salviani Presbyteri Massiliensis: Mens pii studii  
ac boni voti etiamsi effectum non invenerit coepti operis, habet tamen  
praemium Voluntatis.

DEO GRATIAS!

---

Est Deus: idq; pium studium demonstrat A-  
mici;

Opto pio studio, corditùs opto, Deum.

Abraham Calovius, D.

---

Demonstrat Natura Deum, Scriptura reve-  
lat:

Verum, Praetori, tu prius esse probas.

Co-



Conatus laudo, tibi scandentiq; cathedram  
Apprecor, ut votis adsit ubiq; *Deus.*

Johannes Meisnerus D.



*Ad*  
*Præstantissimum Dn. Respondentem*  
*Amicum meum.*

**E**sse Deum natura docet nos undiq; tota  
Præsentemq; Deum quælibet herba re-  
fert,

Hinc dubitare potest nullus; sed nemo beatus  
Hâc nobis dici cognitione potest.

**T**alia perpendis meritò, pulchramq; coronam  
A toto cœtu, præmia magna capis.

Michael Wendelerus,

D.P.P. & pro tempore Facult. Philosophicæ  
Decanus.

---

**M**AGNUM, PRÆTORI, hîc sistis de mente sagaci  
Ingeniifœtum, magnaq; dona probas.

C

Gau-



Gaudeo de tanto foetu, studioq; fideli,  
Gaudeat hinc Patria terra salusq; tuae.  
Gratulor & tantis actis studiisq; secundis,  
His studiis faueat semper Ioua, rogo!  
Gratulor ex animo metam finemq; laborum  
Felicem: Finis sit Tua vota precor!

*Hæc Auctori-Respondenti huius egregia  
Disputationis ex merito  
dabat*

**M. Georgius V Vagnerus,**  
Fac. Phil. Adj.

---

**H**is doctis thesibus declaras ardua sanè,  
Et profers animi dogmata sancta pii.  
Gratulor has operas; benè quò procedat id i-  
psum.

Supremum Numen *Flamen* ubiq; dabit!

*Sic*  
*Per-Eximio atq; clarè docto Dn. Prætorio,*  
*Amico suo Fucundo gra-*  
*tulatur*

**Johan-Melchior Doetschmann**  
Halâ Svecus. SS. Theol. St.

Ad



*Ad*  
*Pereximium atq; Eruditissimum*  
DN.

PAULUM PRÆTORIUM,

Dissertationis hujus doctè elabōratæ

AUTOREM CERTISSIMUM,  
Contubernalem svavissimum, atq;  
Amicum suum perdilectum.

NOSSE DEUM, mi PRÆTORI, est *sapientia*  
*prima;*

Ac simul ESSE DEUM *prima scientia* erit.  
ESSE DEUM sine mente negat Schillingius  
audax,

Atq; alii multi. Sed benè agis, benè TU:  
Namq; piè affirmas, Atheos illosq; refellis.

Magna scientia sic, & Tibi iurgit honor,  
Gratulor egregios ausus; simul auguror en! mox  
Præmia larga TIBI noster APOLLO feret.

*αὐτοῦ χεδίασι*

*scribebat*

M. Georgius Ludovicus Glatthorn,  
Francus.

---

Cùm totus studis huc usq; vacaveris, ergo  
Non potes in doctam jam non descendere  
arenam

In



Ingenii & florentis opes ostendere toti  
Publicitus Clariæ turbæ, specimenq; laboris  
Ritè exantlati. Naturæ lumine lustras  
Ens infinitum: Non perdes hosce labores;  
Sed fiet, credas, ut præmia digna capessas  
Quæ non tempus edax rerum disperdere  
possit.

*Hæc pauca præstantissimo Du. Respondenti  
amico suo honoratissimo addere volebat*

M. Johannes Jahn,  
Plattena Boh.

---

UT jamjam Cathedram valeas ascendere,  
Chare,

*Effecit studii sedula cura Tui  
Gratulor ex animo ceptum, quod primitus  
offers*

*Laudo conamen. Prosperet alma Trias!  
Perge, velut pergis sic Te Perchare manebunt  
Dilectæ patriæ præmia mille tua.*

*αὐτοσχεδ. paucula hæc, amoris ac ho-  
noris ergò, conjunctissimo suo  
adponebat*

Jeremias Geisler,  
Sebnitio Misn. Philoso-  
phiæ Studiosus.

*Perlegi d. 16 mart.  
1695.*



05 A 1415

ULB Halle  
003 782 00X

3




2  
1  
s!  
nt  
er  
o-  
9  
nt











Cum Deo  
Propter Deum!

# DEUM

IN  
LUMINE NATURÆ  
REPRÆSENTATUM

Autoritate superiorum  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI  
*Precellentis atq; Praclarissimi*  
**Dn. M. GEORGII VVAGNERI,**  
Colleg. Philosoph. Adjuncti meritissimi  
Dn. Præceptoris, Promotoris, Fautoris humili  
observantiâ ætatem prosequendi  
*In Universitate VVittebergensi*  
A. D. g. Mart. Ann. Christi M. DC. LXX.  
H. L. Q. C.  
*publicè disputabit*  
AUCTOR RESPONDENS  
**PAULUS PRÆTORIUS,**  
Budisinenfis.

---

Naza-zen. Orat. contr. Eunomian.  
Μνημονεύσον θεῶν μάλλον, ἢ ἀναπνευστέον.

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.